



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Mors Duorum Anachoretarum Montis Phterigij. Capvt. XC.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

inueneritq; speluncam. Ingressus autem in illam, reperit Anachoretam genibus flexis, manibusq; in cœlum extensis, cuius crines capitis vsque in pauimentum extendebantur. Cùm autem putaret eum viuere, prostratus ante illum ait: Ora pro me, pater. Ipso verò nihil respondente, surgens prope illum accessit, vt saluaret eum, & amplexaretur; sed tenens ipsum, inuenit mortuum. Itaq; illo dimisso, exiuit. Et cùm paululum processisset, vidit aliam speluncam. Ingressusq; inuenit senem. Qui ait ad illum. Bene venisti, frater; ingressusne es aliam speluncam? Et respondens ait illi: Vtique pater. Rursum dixit ei: Num aliquid inde accepisti? Respondit: Nō. Et ille: Verè frater, quindecim anni iā elapsi sunt, ex quo consummatus est. Ita verò erat, ac si ante vnā horam obdormisset. Cùmque fecisset senex orationem pro ipso, recessit.

Mors Duorum Anachoretarum Montis

Phterigij.

C A P V T. X C.

DV O Anachoretæ erant supra Rosum in monte, qui dicitur Phterigius prope Ripen fluuium, & iuxta monasterium Abbatis Theodosij in Scopulo. Erat autem ex his alter senex, alter iunior, senisque discipulus. Cùm verò defunctus esset senex, facta oratione discipulus sepeliuit eum in monte. Post dies verò processit descendens de monte Anachoretæ discipulus, venit iuxta loca habitabilia, inuenitq; hominem quendam exercentem terram, & ait illi: Fac charitatem, frater, accipe fossorium, & sarculum, & veni mecum. Rusticus verò continuo secutus est eum. Cùmque venisset in montem, ostendit Anacho-

Anchoreta seculari sepulchrum senis sui, & dixit ei: Fode hic. Cùm autem effodisset sepulchrum, Anchoreta stetit ad orationem. Finita verò oratione, osculatus est secularem dicens: Ora pro me, frater. Descendensque collocavit semetipsum supra senem suum, & continuò reddidit spiritum. Secularis autem rursus aperto sepulchro, Deo gratias egit. Cùm autem descendisset de monte, quantum iactus est lapidis, ait intra semetipsum. Verè debui accipere benedictionem sanctorum. Reversusque illorum sepulchrum inuenire non potuit.

Vita Abbatis Gregorij Anachoreta, & Thallelæi eius discipuli.

CAPVT XCI.

Dicebant quidam ex patribus de Abbate Gregorio Anachoreta, quòd triginta quinque annos egisset nudus deserta circumiens.

Dicebant item de illo, quòd cùm esset in montibus monasterij Abbatis Theodosij in Scopulo, habebat discipulum, quo defuncto, cùm non haberet senex instrumenta, vt humum foderet, & sepeliret corpus fratris, descendit de monte prope mare, inuenitque applicantem nauem. Orauit autem nauclerum, & nautas, vt ascenderent secum in montem, & sepelirent fratrem. Illi autem prompto animo obedierunt seni, sumentesque instrumenta necessaria, ascenderunt cum eo, & fodientes humauerunt corpus fratris. Vnus autem ex nautis, nomine Thallelæus compunctus in virtute senis, orabat eum, vt cum illo moreretur. Senex autem dixit ei: Non potes ferre penitentiae laborem. Ait ille: Ita sanè tolerare possum.

Bb s

possum.